

non, sit ritus dupl. I. vel II. classis; si autem fuerit ritus dupl. II. classis dumtaxat una tantum Missa cum cantu de praedicta commemoratione Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo celebretur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 6. Apr. 1804.
(Bull. r. Contin. t. XII. p. 145.)

(Conc. Tr. S. 22. Decr. de observ. et evitandis in celebratione missae.)

Intra fines parochialis seu ruralis abbatiae SS. Nicolai et Agathae Zeulae Praedosae civitatis Bononiensis adest burgus seu vicus nuncupatus „Ponte di Ronca“ compositus duodecim domunculis ad usum rusticorum, in eoque ab antiquo tempore reperitur publicum Oratorium Praesentationis Beatissimae Virginis, constructum ad formam constitutionis synodalis loquentis de Oratoriis publicis ac satis instructum de utensilibus sacris pro celebratione sacrificii.

Quamvis autem in eodem Oratorio ab antiquo tempore usque ad praesens celebratum fuerit sacrificium Missae praevia licentia concessa ab Archiepiscopis Bononiae et renovata de anno 1725 a moderno eminentissimo Antistite ad quinquennium, ut deponunt plures testes, qui dantur in sumario, et constat ex eadem licentia transscripta in eodem sumario ac etiam decoratum fuerit de anno 1656 indulgentia plenaria a san. mem. Alexandro VII., nihilominus de anno 1726 modernus curatus seu abbas dictae parochiae instetit coram Vicario generali pro interdicto et suspensione dicti Oratorii ab ulteriori celebratione Missarum sub motivo, quod Oratorium praedictum multos habet defectus reprobatos a sacris canonibus synodali-

bus, videlicet, quod sit connexum a pluribus lateribus cum domibus rusticorum contiguus ac aequali eodemque tecto cum illis constructum, ita ut a dictis domibus haberi possit accessus ad tectum Oratorii ac una ex illis habet quoque actualem accessum ad taxellum seu lucernarium ejusdem Oratorii, ubi inquilinus reponit instrumenta rusticalia, quodque sit adeo annexum et conjunctum cum dictis domunculis, ut, qui morantur in Oratorio, audiant discursus vicinorum pariterque sit positum in quadam servitute activi aspectus, et demum quod sacerdos ibi continuam habens moram ad effectum dicendi sacrum quaestuat, obligationes colligit et multos alios actus exercet in praejudicium ecclesiae parochialis.

Contestata lite inter parochum praedictum et administratores hospitalis expositorum Bononiae, de cujus dominio sunt praefatae domus et Oratorium, Vicarius generalis fecit accessum in faciem loci, ubi distincte recognovit situm et statum Oratorii et contiguarum domorum: dictus accessus plene describitur et datur in sumario administratorum num. 3., sed quia praedictus Vicarius differebat causam decidere, administratores appellarunt a denegata justitia et recursum habuerunt ad auditorem Sanctissimi, qui terminum duorum mensium praefixit judici ad causam expediendam illaque non expedita intra terminum praefixum eandem remisit ad S. Congregationem.

Elapso termino praedicto, quin Vicarius causam terminasset, idem auditor Sanctissimi denuo illam remisit ad Sac. Congregationem; idcirco ad instantiam administratorum et in contumaciam parochi non adhuc jura sua deducere curantis proponitur dubium ab EE. VV. sapienter de more decidendum: „An in Oratorio, de quo agitur, liceat celebrare sacrificium Missae in casu?“

S. C. C. resp.: Arbitrio emin. Archiepiscopi et amplius.

Die 2. Julii et 13. Aug. 1729.

Ruben.

Aderat in Civitate Ruben. Ecclesia SS. Rosarii, spectans ad PP. Ordinis Praedicatorum, sed prorsus incongrua et ruinae proxima, adeo ut iidem PP. novam Ecclesiam construere cogitarunt, ejusque fundamenta juxta Ritus a Pontificali Romano praescriptum ab Episcopo benedicta fuerunt. Reservarunt tamen in dicta antiqua Ecclesia quaedam Altaria pro Divinis Officiis aliisque Functionibus ac etiam pro retentione SS. Sacramenti; sed ob ruinam de proximo eventuram aliaque inconvenientia in dictis altaribus haec omnia amplius peragi non poterant et ad eundem usum destinata fuit portio novae Ecclesiae ac etiam pars Claustrum, claudendo omnia opportunis cum tabulis; dictusque locus Januam habet in via publica aliamque ex parte novae Ecclesiae pro Patrum commoditate. Ut omnia rite fierent, petierunt iidem PP. Aquam benedictam ab Episcopo pro dictae provisionalis Ecclesiae benedictione, ea tamen denegata fuit; post obitum Episcopi Rubensis iidem Patres Aquam benedictam obtinuerunt ab Episcopo Vigiliensi, et cum ea absque ulla alia licentia provisionalem Ecclesiam seu Oratorium, ut supra erectum, benedixerunt, ibique a sex mensibus circiter Sacra persolvunt.

Factum ut supra expositum huic Sacrae Congregationi refert Vicarius Capitalaris ejus exquirens oraculum: an dicta parva Ecclesia supponenda sit ecclesiastico interdicto aliisque poenis canonicis, demandando iisdem Patribus, quod saepedicta altaria, in quibus prius sacrificium offerri consueverat, ad decentem formam redigantur et restaurantur, vel potius sit permittendum,

ut in illa erecta intra Claustrum celebretur?

Procurator Generalis Ordinis late exponit, necessariam fuisse dictam provisionalem Ecclesiam; ejus pars, uti existens in eodem situ, in quo erat antiqua, nulla indigebat benedictione, et quod Claustrum uti eidem annexum sub eadem ratione cadere debeat. Sed ulterius, quod ex Constitutione *Pretiosus* san. mem. Benedicti XIII. in §. 33 expresse conceditur Fratibus sui Ordinis facultas benedicendi novas Ecclesias cum Aqua ab aliis Episcopis benedicta, ibi: *Hoc amplius, quod ubi Dioecesanus Episcopus renueret Aquam a se benedictam concedere, possint et debeant iidem Fratres a quocumque Catholico Episcopo Aquam in ejus Dioecesi benedictam ad praedicta praestanda accipere et asportare.*

Demandat Sac. Concilium Tridentinum, quod extra Ecclesiam et in Oratoriis in privatis domibus existentibus Missae celebrari non debeant, prout ex dicto Concilio sess. 22. cap. unico de observ. et vitan. in celebr. Miss. Sed quoties Ecclesia seu Oratorium est publicum habetque Januam in via, itaut accessus cuique pateat nec desunt alia necessaria requisita, de quibus apud Barbos. de Concilio dicto cap. unico num. 22, non comprehenditur sub prohibitione dicti Decreti Concilii Tridentini, ut tradit idem Barbos. et respondit haec Sac. Congregatio in Florentina 2. Decembris 1628 lib. Decr. 13. fol. 568. et in Compsana 31. Maii 1704 ad secundum dubium lib. Decr. 54. fol. 226. a tergo. Attamen antiqui Canones aliaque Ecclesiae Constitutiones expresse disponunt, quod non valet in Ecclesiis et Oratoriis publicis Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari, nisi illa fuerint Episcopi auctoritate consecrata vel benedicta aut saltem visitata et recognita opportuna ad Missarum

quam magistraliter de more examinat circa Oratoria publica et privata et super illorum signis.

Oratorio publico non repugnat, quod situm reperitur in Aula Baronis vel in Atrio Palatii, quando caetera signa publicitatis concurrunt, ut resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione in Compsana 31. Maii 1704 ad primum dubium lib. 54. fol. 216., ubi agebatur de Oratorio sito intra Claustrum Atrii Palatii dicato S. Joanni Baptistae habente Altare fixum marmoreum, Campanile cum Campana pro convocatione Populi ad audiendum Sacrum, ac in eo fundatum erat Beneficium Ecclesiasticum, pro quo exigebatur Procuratio pro Visitatione, ac etiam fiebat Officiatura per Clerum certis diebus Festis: dictaque resolutio transcripta reperitur apud Eminentissimum Petram loco citato num. 80. Imo disputatis in eadem Causa aliis duobus dubiis in Congregatione diei 8. Aug. 1705. Primo scilicet: *An aperiendum sit Ostium Capellae in Via publica vel potius removendae sint valvae impediennes ingressum in Atrium?* Et secundo: *An liceat Baroni per Palatium ad Ecclesiam descendere?* Responsum fuit ad primum: Negative; ad secundum: Affirmative in casu, de quo agitur, ut lib. 55. decret. fol. 292. terg.

Similis inspectio incidit in una Astunen., in qua Episcopus supposuerat Interdicta Oratorium publicum situm intra cortile Palatii cujusdam Magnatis, existimans, quod esset comprehensum sub prohibitione Concilii; Sacra Congregatio Episcoporum, ad quam habitus fuit recursus, proponente clar. mem. Card. Ferrario, sub die 20. Martii 1698 ita respondit: *Praevia remotione Valvarum impediens ingressum in Cortile, vel aperto Ostio Oratorii in viam publicam et clauso omni aditu ab Ecclesia ad*

Palatium et interdicto incongruo usu Cubilis superioris, Episcopus procedat ad executionem Brevis, remoto interdicto: ut habetur apud Monacel. tom. primo tit. 5. formul. 2. n. 7.

Quoad haec Oratoria publica facultatem habent Episcopi animadvertere et providere, ne per illa Populus nimium abstrahatur a Parochiali Ecclesia et sic incidat in ignorantiam circa credenda et observanda, ut optime observat Eminentissimus Petra loco cit. n. 69. Hinc quoties Populus accedendo in diebus Festis ad audiendum Sacrum in Oratorio publico, Verbum Dei non audit a Parocho, caret Cathedismo et Doctrina Christiana, ignorat Vigilias et Festivitates de praecepto et denuntiationibus matrimonialibus non interest; Sacra Congregatio interdixit celebrationem Missae in Oratorio publico diebus Festis de praecepto, excepto Festo S. Titularis. ut in Lucana Capellaniae diebus 7. Decembr. 1720 et 13. Septb. 1721 inter Summaria precum, confirmata postea in folio sub die 19. Septb. 1722, ut lib. 72. fol. 460. terg.

Advertendum tamen est, quod in hac Causa Lucana non agebatur de Oratorio jam erecto, sed erigendo ex voluntate Testatoris, qui mandavit in dicto Oratorio celebrari quotidie Sacrum. Et Episcopus una cum Parocho assentiebat erectioni sed modificate, dummodo Missae non celebrarentur saltem in diebus Festis ex causis supradictis. Et Sacra Congregatio indulget facultatem construendi Capellam, cum hoc tamen, quod in diebus Festis diceretur Sacrum non in Capella sed in Ecclesia Parochiali.

Dignabuntur itaque EE. VV. discernere:

1. *An decreta lata ab Episcopo substineantur in casu?*
2. *An, quomodo et ad quem effectum liceat DD. de Fontaner retinere campanam in Capella, de qua agitur?*

S. C. C. resp.

ad 1.: Affirmative;

ad 2.: Licere juxta formam praescriptam et praescribendam ab Episcopo.

Die 28. Jan. et 28. Juli 1730.

Iterum proposito dubio S. C. C. resp.: In Decisis et removeantur januae atrii et amplius.

Die 30. Sept. 1730.

Augustana.

Baro Marquardus de Riedkiemp huic S. Congregationi exposuit, quod ipse cum ingenti sumptu et labore Pagum Stetten Augustanae Dioecesis e manibus Haereticorum vindicaverat, et in Capella, Januam in via publica habente, Imaginem Beatissimae Virginis collocaverat, quae ab habitatoribus ejusdem ad centum quinquaginta ascendentibus, qui in dies augentur, summopere colitur: cumque dictum Pagum Stetten a Parochiali Ecclesia in superiori Stosingen. media hora seu leuca germanica saltem distet, supplicavit, ut in dicta Capella possent Confessiones Sacramentales audiri a Capellano ab Ordinario approbando, ibique Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum conservari ac distribui, Verbum Dei explicari et aquas ac tempestates benedici, aliaque Parochialia munia inter Arcis dicti Pagi moenia exerceri, salvis tamen juribus Stolae proprio Parocho competentes.

Auditus desuper Ordinarius omnia vera esse respondit, sed si gratia supra petita concedatur, fiet ut alii invitentur ad similia peragenda. Hinc S. Congregatio sub die 8. Julii 1726 rescripsit: *Pro facultate ad decennium, dummodo Orator se obliget in forma juris valida ad manutenendum de proprio lampadem coram Sanctissimo Sacramento et dummodo praeceptum Paschale ab omnibus adimpleatur in Parochia; et*

deinde expeditum fuit Breve Apostolicum cum solita clausula: *Salva auctoritate S. Congregationis.*

Cum autem Parochus suum consensum praestare renuerit, audito iterum Ordinario sub die 17. Aprilis 1728 rescriptum fuit: *In Decretis et praefigatur Parocho terminus ad sua jura deducenda in Sacra Congregatione et ut facilius dictus consensus obtineretur vel suppleri posset per hanc Sacram Congregationem, ipse Ordinarius plures notavit conditiones ac modificationes tam quoad oblationes ac etiam quoad Verbum Dei, statutis tantum temporibus annunciandum; et similiter, quod aliae functiones per Ordinarium designentur ac juxta Populi indigentiam diminuatur, mutentur vel augeantur. Voluit itaque Sacra Congregatio haec omnia dicto Parocho nota fieri et sub die 23. Julii 1729 rescripsit: *Episcopo pro nova informatione juxta instructionem, quae fuit: Ut Ordinarius, accersito Parocho, modificationes et restrictiones in ejus relatione expressas eidem insinuet et notificet, quod S. Congregatio gratiam ut supra concessam ad decennium restringere non dubitabit, quodque suas rationes S. Congregationi referendas coram ipso exponat vel in eadem S. Congregatione deducat, praefixo ad hunc effectum aliquo brevi et competenti termino.**

Ordinarius retulit omnia adimplevisse, ac transmisit protestationem et rationes coram eo deductas, tam a Parocho, quam a Barone de Umbgeier dictae Parochiae asserto Patrono, se conquerentibus de praejudicio jurium Parochialium et respective Jurispatronatus; et insuper, quod praefatum Breve sit subreptitium, quia falso assertum fuerit, dictum Pagum Stetten, fuisse a Marquardo e manibus Haereticorum vindicatum, sed quod pro introducenda et conservanda in dicto Pago Religione Catholica multum elaboraverit dictae

Parochiae Patronus. Ulterius Sanctitati Suae sublicitum fuerit, dictam Parochiam esse de Jurepatronatus laicali, cujus libertati plurimum repugnent insinuatæ modificationes, illisque semper contradicent, prout etiam executioni dicti Brevis. His itaque ponderatis, S. Congregatio sub die 9. Sept. praeteriti demandavit, quod causa sub congruo dubio disputaretur.

Controverti non potest, quod in erectionibus Ecclesiarum et etiam in Ecclesiis jam erectis intra limites alicujus Parochiae nullum inferri debet praesudicium juribus Parochialibus, ut advertit *Eminentissimus Petra* ad Constit. Apostol. ad Constit. 2. Paschalis II. sect. 1. n. 69. Nam Parochus solus esse debet in tota Parochia in exercitio functionum parochialium, absque eo quod quisquam alius in illis se ingerat, nisi de ipsius Parochi licentia, *Innoc.* in cap. 1. de Parochis n. 3., ibique *Abbas* n. 7., *Pirching.* in jus Canon. lib. 3. tit. 29. n. 3 et seq. et pluribus relatis resolutionibus hujus Sacrae Congregationis *Pignatell.* consult. 103. n. 15. et seq. tom. 10.

In iis vero, quae jura Parochialia non concernunt, sed pertinent ad functiones mere sacerdotales, nullum jus habet Parochus, nec ejus requiritur consensus, licet Ecclesiae intra limites Parochiae sint erectae, *per Tex.* in cap. fin. de Off. Archidiacon.; *Abbas* in cap.: Ad audientiam lib. 1. n. 8. vers.: etiam nulla etc. de Eccles. aedific. et in cap.: Dilectus n. 11. vers.: Unde concludit, de Capell. Monach., ibique *Innoc.* n. 4. et *Joannes Andreas* n. 9. Quae autem sint jura Parochialia aut Sacerdotalia, late habetur apud *Monacell.* par. 2. tit. 13. formul. 1. a n. 46, ubi refert plures resolutiones Sacrarum Congregationum et signanter decreta generalia Urbis et Orbis edita a S. Congregatione Rituum anno 1703 et a Sanctissimo approbata.

Plures etiam adsunt resolutiones hujus S. Congregationis in similibus causis ut in Lunen Sarzanen. 19. Augusti 1690 ad 2. dub., in qua censuit in Oratorio Confraternitatum non posse retineri Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, nec illud exponi publice adorandum nisi de licentia Episcopi; neque posse Capellanos dictarum Confraternitatum in diebus Purificationis Beatissimae Mariae Virginis et Dominicae Palmarum facere benedictionem Candelarum ac Palmarum; nec etiam absque licentia Parochi in solemnioribus anni diebus canere et celebrare Missas et Vesperas solemnes. Et ad 3. dubium, nempe: *An Capellani dictarum Confraternitatum ministrare possint Christi fidelibus ad Ecclesiam confluentibus extra tempus Paschale Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae?* respondit: *Negative, nisi de speciali licentia Ordinarii.* Et die 13. Januarii 1691 reposita eadem causa S. Congregatio stetit in decisis quoad alia dubia et ad dictum tertium dubium censuit: *Posse, accedente consensu Parochi* ut in lib. decr. 41. fol. 5. Haec decreta emanata in dicta Lunen. Sarzanen. fuerunt in omnibus approbata in alia Bononien. jurium Parochialium sub die 17. Novembris 1691 prout in d. lib. 41. fol. 268.

Jura Parochi seu Patroni non deducuntur, quamvis comparuerint in actis eorum Defensores; supplicantur itaque EE. VV. sapienter de more respondere: *An Literae Apostolicae sint exequendae etiam non accedente consensu Parochi in casu?*

S. C. resp.: Affirmative, juxta modum exprimendum ab *Eminentissimo Praefecto.*

Die 7. Apr. 1731.

2) Functiones cui competunt in eo?

Vd.: *Orator. publ.* (Celebr. missae, decr. *Augustana.*)

Comen.

(Conc. Tr. C. 13. S. 24.; C. 9. S. 25. De ref.)

Ab humanis decessurus Jo. Baptista a Turre haeredibus in suprema voluntate nuncupatis prae caeteris onus adjunxit, ut aedificari curarent ecclesiam in terra Mastenna sub invocatione S. Jo. Baptistae eamque decenti ornatu perpetuis futuris temporibus providerent, in qua missarum sacrificia sub expressa quantitate operarentur fratres pro tempore commorantes in conventu S. Mariae Rozzonici, cui animarum cura incumbit; ipsis vero deficientibus facultatem fecit haeredibus eligendi sibi ipsis benevisum sacerdotem, qui onera injuncta exequeretur, ut latius ex documentis, quae in sumario dabuntur. In obsequium piae hujusce dispositionis *Andreas Trincanus* oratorium publicum sive ecclesiam erigi curavit in praedicta terra Mastennae ejus jurisdictionali feudo, exindeque effusus precibus pro opportuna facultate idipsum oratorium aperiendi sub anno 1705 expeditum decretum obtinuit sine tamen praesudicio jurium parochialium, ea insuper adjuncta conditione: „ita tamen, quod oratorium praedictum semper sit parochiali suppositum et ab ea dependens liceatque parochi pro tempore in eo celebrare aliasque parochiales functiones ad ejus libitum voluntatis quandocumque exercere absque ulla prorsus contradictione et ad hunc finem ipsius oratorii alteram clavem habere debeat, ad formam constitutionis synodi VII. dioecesanae sub poena nullitatis praesentis concessionis et interdicti ipso facto ejusdem oratorii.“ Minus quidem placuit fratribus de Trinicanis hujusmodi decretum autumantibus sibi ipsis valde obnoxium esse, praesertim quia jus parochi attribuitur exercendi in oratorio functiones parochiales alteramque

clavem retinendi. At ejus praetensa jura contra protegente vicario curato praelibatae ecclesiae Rezzonici, intra cujus fines saepedicta ecclesia completitur erecta, nuper deducta fuit hujusmodi controversia ad s. hanc congregationem. Hinc reportata episcopi informatione, qui votum suum in judicio EE. PP. reposuit, dignabuntur ipsi sapienti oraculo pandere super tribus concordatis dubiis:

I. An ecclesia sive oratorium publicum S. Jo. Baptistae situm in terra Mastennae de jure patronatus fratrum de Trinicanis habeat dependentiam sive subjectionem tam in functionibus parochialibus quam non parochialibus ab ecclesia parochiali Rezzonici?

II. An liceat parochi ecclesiae Rezzonici independentem a patronis explere functiones parochiales in oratorio ad sui libitum iis invitatis et quas?

III. An retentio clavis oratorii spectet solum ad patronos seu personam ab iis deputandam vel potius patroni teneantur tradere alteram clavem parochi?

S. C. C. resp. *ad 1.*: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

ad 2.: Negative;

ad 3.: Clavem retinendam esse a Capellano pro tempore, non autem a parochi, et amplius.

Die 9. Junii 1714.

Ad dubium: An parochus possit impedire celebrationem missarum sol. in Oratorio Confratern. Mortis loci Praedarii per annum sive pro vivis sive pro Def. etiam post missam parochialem?

S. C. C. resp.: Affirmative, nisi accedat licentia Episcopi.

Die 3. et 24. Sept. 1718 ad 4. *Novar.*

Melevitan.

(Conc. Tr. C. 1. S. 23. De ref.)

Recurrentibus festivitibus titularibus Ecclesiae Beatissimae Virginis as-

sumptae nec non Ecclesiae S. Rocchi respective sub anno proxime elapso controversia invaluit inter Jo. Baptistam Sagnanum Rectorem Ecclesiae Parochialis Casalis Zebbug et Servientes sive Custodes jam dictarum Ecclesiarum, quibusnam eorum competeret electio sive deputatio Diaconi et Subdiaconi aliorumque Ministrorum, qui in Missis et Vesperis solemnibus in iisdem Ecclesiis celebrandis assistentiam praestare tenentur. Equidem Parochus ejusmodi jus sibi vindicat, tum quia memoratae Ecclesiae intra fines parochiales, ut inquit, jacent, neque Rectorem sive Beneficiatum proprium habent, sed tantum committuntur quorundam Ministrorum etiam saecularium custodiae, qui ab Episcopo deputari solent, cum etiam ex asserta pacifica observantia, quae omnia comprobantur, idem Rector inquit, ex processiculo in Curia Episcopali compilato in summario exhibendo. Contra vero insurgunt memorati Custodes, qui ex Episcopi electione id jus sibi ipsis asserunt, neque Rectorem extra propriam parochialem se ingerere posse inquit ex latius in summario adducendis. Hinc remissa hujusmodi causae decisione ad Sac. Congregationem ab R. P. Auditore SS. D. N. proponitur infrascriptum dubium monitis partibus sapienter ab EE. VV. decernendum:

An electio et deputatio Assistantium pro Diacono et Subdiacono in Missis et Vesperis solemnibus, quae celebrantur in Ecclesiis B. M. V. assumptae et S. Rocchi sitis intra limites Casalis Zebbug, spectet ad dictum Parochum vel potius ad Servientes seu Custodes dictarum Ecclesiarum?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primum partem et negative quoad secundam.

Die 23. Febr. 1715.

Iterum proposito dubio S. C. C. resp. sub die 22. Junii 1715: *Praevio*

recessu a Decisis spectare ad Servientes.

Ad dubium: An pro celebratione missae quotid. in Oratorio Hospitalis rurali B. V. M. pagi Peysei in ecclesiam erigendo et pro inserviando dicto Hospitali liceat Communitati deputare Capellanum independenter a parocho?

S. C. resp.: Negative et Sacerdos deputetur ab Ordinario.

Die 22. Apr. 1719 ad 4 *Tarantas.*

Firmana.

Bernardinus Perozzi, Parochus Ecclesiae S. Mariae, et Joseph Campanella, Rector Parochialis SS. Joannis et Pauli Loci Rapagnani, exponentes in supplici libello, quem Sacrae huic Congregationi porrexerunt, se hactenus consuevisse solemnes quascumque functiones peragere non solum in Parochialibus suis Ecclesiis verum etiam in aliis omnibus intra earum limites existentibus, petierunt ab eadem Sacra Congregatione decerni, ut memoratae Functiones non nisi ab Oratoribus etiam in Ecclesia intra fines suarum Parochialium a Sodalitate nuncupata del Suffragio recens constructa explendae sint, subindeque impetrarunt praeceptum, ne sacris Ritibus nova Ecclesia initiaretur, donec in hac re, quid juris fuerit, definitum esset.

Oplantes itaque Confratres praedictae Societatis, qui Parochorum petitioni contradictores se praeberunt, quantocius litem hanc dirimi, tametsi non inficiantur, Ecclesiam suam intra limites dictarum Parochialium existere, quia tamen ex collectis Confratrum aliorumque Fidelium oblationibus erecta fuit in Solo a piis quibusdam Sodalibus eidem Confraternitati cesso atque donato, contendunt, Capellanos aliosque Presbyteros ab ipsis pro servitio dictae Ecclesiae deputandos libere et absque ulla Parochorum licentia in ea

posse Missas solemnes celebrare, publicae Fidelium adorationi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum exponere, Populo benedictionem largiri nec non juxta facultatem ab Archiepiscopo tributam licere quoque Cadavera eorum, qui sepulturam ibidem elegerint, tumulare: Ideoque humillime postulant, ut quinque infrascripta Dubia omnes hasce controversias complectentia ab Eminentis VV. sapientissimo, quo solent, judicio, decidantur:

I. An Sacerdotes deputandi ab asserla Societate Suffragii possint solemniter canere Missas in Ecclesia seu Oratorio sub titulo Suffragii absque licentia Parochi S. Mariae vel potius Missae solemnes, quatenus in dicta Ecclesia seu Oratorio canendae sint, celebrari debeant ab eodem Parocho, etiam invitis Confratribus?

II. An in dicta Ecclesia seu Oratorio exponi possit Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae adorationi cum sola licentia Ordinarii sine interventu Parochi praedicti? Et quatenus affirmative;

III. An eidem Parocho S. Mariae competat saltem jus benedicendi Populum cum Sanctissimo Sacramento in dicta Ecclesia seu Oratorio, etiam invitis Confratribus?

IV. An Parochus SS. Joannis et Pauli de consensu Parochi S. Mariae possit dictas functiones explere in dicta Ecclesia seu Oratorio, etiam invitis Confratribus?

V. An Cadavera Defunctorum tumulari possint in dicta Ecclesia seu Oratorio invitis Parochis, quatenus aliquis elegerit in eodem Oratorio tumulari in casu?

S. C. C. resp. *ad 1.*: Affirmative quoad primam partem de licentia Episcopi, negative quoad secundam;

ad 2.: Affirmative;

ad 3. et 4.: Negative;

Decreta authentica. Tom. II.

ad 5.: Affirmative salvis juribus parochialibus.

Die 12. Maii et 2. Junii 1736.

Asculana.

(Conc. Tr. C. 4. S. 24. De ref.)

Intra fines parochiae oppidi Acumuli situm est publicum oratorium sive ecclesia Deiparae Annunciatae sacra in villa Tini et ab ecclesia parochiali S. Laurentii mille circiter passibus distans. Certant inter se Josephus Moscatius parochus et Carolus Nicolaus Organtinus publici illius oratorii rector, cum parochus sibi licere putet functiones ad munus suum spectantes pro majori commodo gregis exercere, quotiescunque sibi libuerit, in eo oratorio, etiam sine assensu rectoris, qui id impugnat. Vicissim vero Organtinus rector contendit jure suo ad se pertinere certas functiones in eo publico oratorio sive ecclesia obeundas; idque negat parochus, ut ex dubiis mox subjiciendis deprehendi potest.

Parochus jus suum adstruit, ex quo publicum illud oratorium in ambitu parociae suae existat. Consuetudinem quoque ei favere affirmat Episcopus his verbis: „*Parochi ecclesiae S. Laurentii a tempore immemorabili tam occasione festivitatis quam funerum in eo oratorio exercuerunt et exercent omnes functiones ecclesiasticas; praesertim quia in dicto oratorio erecta reperiuntur nonnulla sepulcra.*“

At Organtinus praedictae ecclesiae sive publici oratorii rector objicit potissimum praerogativam exemptionis, propterea quod ecclesia illa fundata sit in solo basilicae Lateranensis. Tum et illud addit, functiones in controversiam venientes proprie non esse recensendas inter parochiales, nec in aliena ecclesia ad parochum eas privato jure spectare.

celebrationem, juxta Textus in *Canon. Missar.* 12. et in *Canon.* 15. de Consecrat. distinct. 1. Et refert *Azzor.* Institut. Moral. part. 1. lib. 10. cap. 26. in princip.; *Bonacin.* tom. 1. de Sacram. disput. 4. quaest. ultim. punct. 9. num. 9.; *Barbos.* de offic. et potest. Episcopi part. 2. allegat. 23. num. 1. et num. 4., ubi ait, quod per Concilium Tridentin. sess. 22. cap. unico de observan. et vitan. in celebr. Miss. sublata censentur omnia privilegia ante Concilium concessa favore FF. Minorum et Praedicatorum, nisi illa fuerint post Concilium confirmata.

Dignabuntur itaque EE. VV. sapientissime de more respondere:

I. *An licita sit celebratio Missarum in Oratorio, de quo agitur?* Et quatenus negative;

II. *An et quomodo sit providendum in casu?*

S. C. C. resp.:

Ad I.: Affirmative et amplius.

Ad II.: Provisum in primo.

Die 10. Martii et 28. Julii 1731.

Barchinonen.

An Atrio delitiosae Domus seu Turris Familiae de Fontaner constructum reperitur quoddam Sacellum seu Oratorium dicatum Immaculatae Conceptioni B. Mariae Virginis, Januam habens prope viam publicam et Campanile cum Campanula, ibique Sacrum Missae Sacrificium celebrari, SS. Eucharistiae Sacramentum decenter asservari et Christifidelium venerationi palam exponi consuevit. Ultra dictam publicam Januam aliam quoque particularem habet, per quam ex Portico domus accessus patet ad Capellam.

Anno 1712 Ignatius Fontaner dictae Domus Possessor, praevia licentia Ordinarii, illud in ampliorem formam redigi curavit, sed cum Sepulchrum quoque pro se suisque Descendentibus

construi exoptaret, Parochus Ecclesiae S. Ginnesii (intra cujus limites situm est praedictum Oratorium) per iter unius horae valde asperum ab ea distans acrem controversiam promovit, non licuisse scilicet dicto Ignatio sine suo consensu Oratorium ampliare et reaedificare, ibique Sanctissimum recondere ac exponere minusque Sepulchrum construere; sed post passam ab eo contrariam sententiam res composita fuit de anno 1713 amicabili Concordia, in qua reservatis Parocho Jurisdictione aliisque Juribus Parochialibus, confirmata fuit ampliatio Oratorii, Sacrificii Missae aliorumque Divinorum Officiorum celebratio ac etiam SS. Sacramenti asservatio et expositio nec non retentio Campanae illiusque usus, prout in aliis Ecclesiis, et concessa insuper fuit facultas inibi construendi Sepulchrum gentilium ac etiam fundandi Beneficia vel ecclesiastica Officia, prout eodem anno praedictus Ignatius autoritate Vicarii Generalis fundavit simplex Officium ecclesiasticum ad nutum amovibile, cum onere sex Missarum in hebdomada; et concordia ista approbata fuit nedum ab eodem Vicario Barchinonen. et Rmo tunc Hispaniarum Nuntio in actu stipulationis, sed etiam a Sacra Congregatione sub die 6. Septbr. 1726, expedito desuper Brevi Apostolico. Haec facti series eruitur ex Juribus pro parte Fontaner distribuendis.

Anno 1728 modernus Episcopus Barchinonen. in actu Visitationis duo condidit decreta, primum, quo mandavit, *ne in diebus festis ante celebrationem Missae in dicto Oratorio pulsaretur illius Campanula*, rejiciens etiam in suspensivo appellationem ab hoc decreto interpositam, et alterum, quo sub supposito, quod contraventum fuerit praedicto suo Mandato, inhibuit omnibus Presbyteris tam Saecularibus quam Regularibus, ne sub poena excommu-

nicationis Sacrum celebrare auderent in dicto Oratorio.

Adversus hujusmodi decreta recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem Joannes Antonius Fontaner actualis Patronus ac instat pro eorundem nullitate et injustitia ex pluribus fundamentis, adductis in scriptura ejus nomine circumferenda; audito Episcopo hic refert: praedictam ruralem Turrim fuisse antiquitus parvam Domum, cui adhaerebat ruralis Capella sub invocatione S. Mariae Magdalenae, quae de anno 1677 fuit benedicta, ibique Ordinarius Barchinonen. facultatem concessit celebrandi Sacrum, nec aliud privilegium aut praerogativa fuit attributa; et quod Turris praedicta postmodum de anno 1697 diruta fuit per Exercitum Regis Galliarum obsidentem Civitatem Barchinonen.

Subdit, quod anno 1700 praefatus Ignatius Fontaner integer ac dives Mercator, non tamen nobilis, dictam domum emit, eodemque anno Capellam restauravit sub invocatione Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, quae noviter fuit benedicta ac indulta dumtaxat licentia inibi celebrandi sine alia praerogativa, et in hoc statu permansit usque ad annum 1712; interea et circa annum 1708 idem Ignatius praefatam domum in ampliorem et sublimiorem formam reducere incepit cum delitiosa Villa ac pergrandi Atrio, Capellam quoque includente; et occasione, qua subinde ob aeris salubritatem ibi per aliquod tempus moram traxit Serenissimus Imperator cum Serenissima Imperatrice, praedicta Capella per accidens evasit Regia, ac in ea asservatum et expositum fuit SS. Sacramentum variaequae ecclesiasticae functiones celebratae, cumque ad istum effectum illa exigua videretur, aliam novam et amplam Capellam intus Atrium Turris extruxit. Ex hoc desumens Relator, quod

licet antiqua Capella foret publica, uti publicam habens Januam ad Agros, ista tamen noviter constructa uti undique Atrio circumclusa, privatum tantum Oratorium censenda est; nec ex actis Cancellariae constare ait, eam fuisse noviter benedictam et visitatam minusque de ulla fundatione beneficii; subdit etiam, in instrumento Concordiae, prout ibi jacet, nullum adesse verbum, per quod concessa dicatur Campanae elevatio, nec ante annum 1712 unquam ibi elevata extitit Campana; concludit demum, ipsum in postrema Visitatione vicinarum Parochiarum facta de anno 1728 invenisse gravem ignorantiam in populo, etiam circa prima erudimenta fidei; cumque istius originem non aliunde oriri agnovit, quam ex eo, quod per celebrationem Missae diebus festis in saepedicto Oratorio et per pulsationem Campanae Parochiani, ut citius se expedirent a praecepto audiendi Sacrum, illuc accedebant, atque ita a propriis Ecclesiis, in quibus Doctrina Christiana explanatur, distrahebantur; hinc necessarium putavit, ut hoc malum everteret, praefatum decretum edere, ne ante celebrationem Missae dictis diebus pulsaretur Campana Oratorii, ut latius in dicta relatione circumferenda in Summario Promotoris Fiscalis, ubi plura alia recensentur contra exposita per Oratorem, et praecipue quod longe brevior sit distantia Oratorii a Parochiali, quam enarratur in precibus, nec via aspera sit.

Circa retentionem et pulsationem Campanae in Oratoriis, communis distinctio est inter Oratoria privata et publica, ut in illis minime retineri et pulsari possit, secus vero in istis, ut unanimiter Canonistae in *cap. patentibus, de privileg.* et late *Eminentissimus D. Card. Petra ad Constit. 2. Paschalis II. Section. prima n. 78. et per tot.* videndus ad materiam,